



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Constitutionibus. Consilium II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

De Constitutionibus.

SUMMARIVM.

Constitutio prohibens relinqui immo-

bilia manui mortue.

1. Pauperibus bona immobilia relinqui posse.
2. Relicta immobilia manui mortue, ea lege, ut vendantur an sine prorsus inutilia?
3. Frandem legi non facit, qui se illi conformat.
4. Legati incapaces rei sine suo delicto relictis assistentio prestanda.
5. Momentaneum dominium considerabile non est.

CONSILIVM II.

APERTAM calumniam continet oppositio Ioannis vander Haghen suorumque consortium Reorum, adversus intentionem Provisorum pauperum Parochie S. Gaugerici Bruxellensis, Actorum. Nam generalis illa exceptio, quod cum pauperibus non sit testamenti factio, quodque pauperes ex testamento acquirere non possint, saltem titulo universali, imperitiam juris in patrono Reorum redarguit: cum aperta sit juris constitutio, permittens non tantum legata vel fideicommissa relinqui pauperibus, l. *Id quod pauperibus* 24. C. *De Episc. & clericis*, * verum etiam universales institutiones tam ex alie, quam ex parte illis adscribi, l. *Si quis ad declinandam* 49. C. *De Episc. & clericis* & ibi Bald. Ut & in eo aberrat idem patronus, quod obijcit Leges iucundi Adventus, & constitutionem secundum illas promulgatam, de non relinquendis bonis immobilibus manui mortue, in qua dicuntur esse pauperes in genere, seu pauperum administratores. Nam licet illa constitutio veteret acquisitionem & retentionem bonorum immobilium, non tamen vult inutilia esse legata vel donationes, quae sic fiunt, ut vendantur, ne impingant in dictam prohibitionem; sicuti testator iste suam voluntatem accommodando ac conformando ad dictam prohibitionem, prudenti consilio in substitutione pauperum, de qua in hac causa queritur, facta mentione dictae prohibitionis, aperte declaravit, quod quoniam Collegium seu universitas pauperum non possit acquirere bona immobilia, sub dicta substitutione comprehensa, velut illa per Provissores pauperum distrabi, & ex pretio inde confecto redditus annuos comparari ad sustentationem pauperum, quorum reddituum acquisitio his personis seu Collegijs prohibita non est.

2. Neque admittendum est, quod obijcitur, hanc testatoris cautionem esse fraudulentam, in fraudem dictae prohibitionis adscriptam; nam in fraudem legis nihil facit, qui se legi conformat, & ne in illam impingat laborat, id faciendo, quod ius permittit. Permittit autem in genere ius legata quaecumque & institutiones pauperibus adscribi, d. l. *Si quis ad declinandam*; & per dictam constitutionem particulariter prohibetur tantum acquisitio immobilium: quam testator hoc provido consilio omnino impedivit. * Cum alioqui etiam simpliciter relictis huiusmodi legata personis, aut collegijs, quae certorum bonorum incapaces sunt sine suo delicto, aut vicio, ex externa aliqua alia causa, velut ex statuto, cum scilicet prohibetur alienatio in non subditum; ex professione, ut in fratre Minore, Clement. Exvi De verbor. signif. ex conditione personae, ut in servo, valeant & efficacia sint; si non ad plenam acquisitionem & retentionem ipsarum rerum, saltem ad hoc, ut eis debeat pretium seu

astimatio earum, gl. & DD. in l. *Apud Iulianum al.* l. *Cum servus* 39. §. *ult. delegat. 1. glos. in verb. de munus* c. 1. §. 1. *De relig. dom. lib. 6. Card. Zabarel. conf. 102. n. 2. Ioannes Maria de Riminal. conf. 449. Circa statutum n. 4. vol. 5. praeterim quia per hanc dicti testatoris cautionem nulla dictae prohibitioni fraus fieri possit, propter simplex & absolutum testatoris praecipuum dictis Provissoribus datum de vendendis bonis immobilibus, sub dicta substitutione comprehensis, ea intentione, ut prohibitioni non contraveniretur, & pauperibus adscripta substitutio per pretij surrogationem plenum effectum haberet.*

Neque enim finalis, & praecipua causa prohibitionis in eo consistit (quod patronus Reorum sibi persuadet) quod Ecclesiasticis Collegijs satis sit provissum: nam si ea esset causa constitutionis, generaliter fuisset interdicta quorumvis bonorum etiam mobilium & reddituum acquisitio; quam tamen dicta constitutio non prohibet, imò sequens ejus declaratio aperte permittit: sed ea ratio impulsiva tantum est pro parte, à qua concludens argumentum non recte deducitur. Sed praecipua & finalis causa in eo consistit, ne crebra & perpetua facultate acquirendi immobilia bona, Principes & Domini temporales patientur diminutionem jurisdictionis suae super huiusmodi bonis, quae sic manum mutantia ad alterius generis jurisdictionem, Ecclesiasticam scilicet, transeunt, Bald. in c. *Clerici*, n. 2. *De iudic.*

Qua in parte nihil curanda est patroni Reorum illa inutilis, seu potius cavillosa consideratio, quod per huiusmodi relictum faltem aliquo tempore dici debeant huiusmodi immobilia bona virtute dictae substitutionis pauperibus esse acquisita; & quod alioqui Provissores illa vendere non possent, nec in alios transferre, l. *Si filius tuus* C. *De donat.* sic ut pauperibus legata videatur proprietates; quemadmodum proprietates ipsarum pauperum legata videtur, cum testator mandat bona sua distribui inter pauperes, Bald. in l. *Et in epistola* 22. n. 6. C. *De fideicom.* Nam quamvis subtili ratione id verum videri possit; in vero tamen rei effectus prorsus impertinens est; & minus relevans; propter momentum huiusmodi acquisitionis, cuius effectum tollit adjunctum in eadem oratione ac clausula mandatum de vendendo seu alienando. * Quod praecipuum cohaerens ipsi relictis, efficit, ut non proprietates rerum, sed illarum aestimatio relictis videatur, quod nulla lex aut statutum prohibet; ideoque huiusmodi momentanea acquisitio in considerationem venire non debeat, Andr. Tiracq. in tract. *De iudic. in verb. exiguis* v. 18.

Quod novissime obijcitur, de non adita hereditate nomine filiae, cui haec substitutio facta est, & de acquisitione bonorum ex contractu, non ex successione, prorsus improbabile & absurdum est, satisque diluitur per Actorum scripturam: cui adjungimus, quod huiusmodi anticipatio futurae successionis speciem voluntatis ultimae habeat; & mortuo parente pro successione accipiatur, l. *ut C. Famil. erisc.* Item quod dicta filia ipso iure sine additione etiam facta fuerit patri haeres, propter patriam potestatem ac ius fuitatis, l. *In suis de lib. & posthumis*. Atque ita paucis concludo, Reos per omnia condemnandos esse, secundum conclusionem praefatorum Actorum.

De